

»tia, et summe esse, et summe ens, id est, summe existens, sive »summe subsistens, non dissimiliter sibi convenient, quam lux, et »lucere, et lucens.»

Pro coronide sufficiat unum ex innumeris S. Thomae testimoniis (1): «Proprietates absolutae in divinis, ut bonitas et sapientia, non opponuntur ad invicem, unde neque realiter distinguuntur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere, non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas.»

145. Objic. 1.<sup>o</sup> Hieronymus et Augustinus ignorabant vim vocis hypostasis et subsistentiae: unde sicut asserebant naturam subsistere, ita negabant tres subsistentes: Resp. ex dictis constat falso haec asseri, nec sine temeritatis specie tantis Doctoribus ignorantiam imputari.

Objic. 2.<sup>o</sup> Postquam convenerunt Patres in vocis hypostasis significatione, nunquam subsistentia est de natura dicta. Resp. Iterum falsum est assertum, ut ex laudatis patet testimoniis.

Objic. 3.<sup>o</sup> Apud graecos jam non licet naturam hypostasim dicere. Resp. Dist. Si vox hypostasis non fuerit plus restricta quam vox subsistentia, nego. Si fuerit plus restricta, permitto. Verum quid de graecis, cum agitur de usu vocis latinae?

146. Objic. 4.<sup>o</sup> In Conc. Lateranensi, sub Martino V, et ab Imp. Justiniano sumpta est vox subsistentia ad significandas personas; ergo non licet essentiam subsistentem dicere.

Resp. 1.<sup>o</sup> Etiam Hieronymus dixit personas subsistentes, etiam Anastasius, etiam D. Thomas, etc. Tamen essentiam subsistere non negarunt. Ergo nihil exempla praedicta evincunt.

Resp. 2.<sup>o</sup> Et prohibuit Concilium essentiam subsistentem dicere; nego. Aliter, concedo.

147. Nota: Lateran. Gener. minime adhibuit vocem subsistentiae ad significandas personas: sed tantum vocem apud Latinos semper usitatam, personam nempe, et proprietatem personalem. Idem praestiterunt plura Toletana Concilia tum in professionibus fidei, tum in tradenda de *Trinitate* catholica doctrina: eodem modo loquitur Pontifex Leo in suis litteris ad Flavianum Patriarch. Constant., toto acclamante Conc. Chalcedonensi, laudatis. Unde sicut apud graecos vox hypostasis, ita apud Latinos vox persona ea, quae in Trinitate plura sunt, proprie significant. Inaniter ergo timent adversarii parituram confusionem subsistentiae vocem, si de natura etiam dicatur: quod si talis subsistentia absoluta esse significetur, ac proinde communicabilis, tunc, neque remotissime, confusionis umbra apparet.

(1) P. 1, q. 30, a 1, ad 2.

## CAPUT III.

### De iis quae communia sunt divinis Personis.

#### ARTICULUS I.

#### De personarum divinarum constitutione.

##### THESIS XIV.

In Deo sunt verae proprietates constitutivae Personarum.

148. Nota. Doctrina haec certa est ac communis adversus paucos theologos, qui eam negarunt, putantes imperfectionem et compositionem significare, quod constituatur aliquid per proprietates.

Prob. 1.<sup>o</sup> Lateran. IV. (c. *Firmiter*) ait: «Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam una, et secundum personales proprietates discreta.»

2.<sup>o</sup> Ex. PP. vide Athanasium supra (1); Basilius autem ait (2): Cum una sit Deitas, fieri non potest ut propriam Patris aut Filii notionem assequamur, nisi mentis cogitatu proprietatum accessione distinguantur... Nec ii modi, quibus ejus proprietates indicantur, simplicitatis laedent rationem.» Cyrillus etiam (3): «Nihil proprium uni est, quod alteri non insit, excepta solummodo Patris et Filii appellatione ac re.»

149. 3.<sup>o</sup> Personae, quae realiter distinguuntur, debent aliquid sibi proprium habere, quod aliis non sit commune. Sed tres personae divinae sunt inter se realiter distinctae: ergo proprietate aliqua gaudent.

Confirm. Habent divinae Personae unam individuam essentiam: ergo ut vere sint plures et realiter distinctae, in singulis aliquid proprium inveniri debet; scil. forma illa, seu quasi forma, qua Pater est Pater, simul cum essentia, constituit Patrem; et similiter aliquid proprium Filium et Spiritum Sanctum constituere oportet.

150. Objic. 1.<sup>o</sup> Forma constituens est actus rei constitutae: ergo ut realiter constituat, debet forma esse actus realis. Atqui actus realis dari nequit sine compositione reali, quae Deo repugnat: ergo non sunt in Deo verae proprietates constitutivae, sed solum apparenter.

(1) N. 18.—(2) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 29.—(3) *Thesaur.* l. 2. c. 1.

Resp. nego *min.* subsump. Nam compositio realis exigit actualiter distinctionem realem; ut autem Persona ex essentia et proprietate realiter constituatur, sufficit ut haec distinctio sit virtualis. «Haec enim distinctio, ait Suarez (1), sufficit ad multa alia, quae realiter conveniunt ipsis Personis: sicut enim Pater realiter communicat Filio suam naturam et non communicat Paternitatem; ergo etiam in re ipsa potest Paternitate constitui, et distingui, et non natura.»

151. Objic. 2.<sup>o</sup> Constitutio hominis ex animalitate et rationalitate, est rationis tantum; non quod utrumque non sit quid reale in homine, sed quia ratione tantum distinguuntur, non re. Atqui Paternitas ab essentia distinguitur etiam ratione tantum: ergo reapse Personae divinae non constituuntur proprietatibus, sed ratione tantum.

Resp. Dist. *min.* Distinguitur ratione tantum *actualiter*; concedo *min.* *Virtualiter*; nego *min.* Ideoque, nego *consequentiam* et paritatem: ut enim ait Suarez (supra); «Haec distinctio virtualis sufficit ad multa alia, quae realiter conveniunt ipsis Personis.» Si autem distinctio foret rationis tantum, non nisi effectus secundum rationem haberet, non autem reales et objectivos; esse namque cujusvis effectus nequit, perfectione, esse causae superare.

152. Instabis. Qualis est distinctio, talis est constitutio inter proprietatem et Naturam: si ergo distinctio non est actualis, sed virtualis tantum; constitutio etiam solum est virtualis, ideoque actualis constitutio erit per rationem.

Resp. Dist. *antec.* Talis est constitutio quoad modum concipiendi nostrum, id est, ad modum compositionis; conc. Talis est constitutio quoad rem significatam per nostrum concipiendi modum; nego. Deinde dist. *consequens*: Si ergo distinctio est virtualis tantum, id est, si distinctio inter Naturam et proprietatem habet tantum virtutem actualis distinctionis rationis, constitutio erit per rationem; conc. Si habet virtutem distinctionis realis, id est, ad eos effectus, quos haberet distinctio realis, actualis constitutio erit per rationem; nego. Ideo, ait Suarez (2). «Unde fit (quod est maxime notandum pro his, quae disputanda sunt) ex vi hujus constitutionis convenire divinis Personis, ratione proprietatum, quidquid convenire solet rei vere ac realiter constitutae, ratione formae seu proprietatis constituentis, seclusa tantum distinctione *actuali in re*, et quacumque alia simili imperfectione. Nam hoc requiritur, ut vere ac simpliciter dici possint Personae ita constitutae; et hoc significant Patres, cum dicunt Personas significari

(1) L. 7, c. 3 n. 7, *de Trinit.*—(2) *Ibid.* n. 9.

»et constare proprietatibus, et hac etiam ratione tam solliciti sunt »Theologi in declaranda ac defendenda hac constitutione.»

## SCHOLIA.

153. I. Ex dictis patet, Personas divinas constitui essentia et proprietate. Quatenus constituuntur proprietatibus, dicuntur et sunt Personae plures, oppositae et distinctae, et ut ait Later. Conc. IV. (c. *Damnamus*), «alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.» Quatenus vero essentia constituuntur, sunt *unum, idem*, seu, ut idem Concilium dicit: «Non sunt aliud... sed eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus.» Quod patet etiam ex Personae definitione ad quam et natura pertinet.

154. II. Deducimus etiam, adversus Cajetanum et alios, Personas ab invicem distingui formaliter per suas Proprietates: ita Suarez, Scotus, Ruizius, etc. Nam quaelibet res per id distinguitur ab aliis, per quod constituitur: distingui enim nihil aliud est, quam unum non esse aliud: atqui quaelibet res per ipsum suum, quo constituitur, esse, non est aliud esse; quodlibet enim esse est *unum*, seu indistinctum a se et distinctum a quolibet alio. Sic et Nazianzenus (1): «Quid dicitis, qui tres hypostases affertis? An hoc eo dicitis, quod tres essentias existimetis?... Quid igitur vobis hypostases volunt, aut vobis personae? Nimirum tria esse, quae dividuntur, non naturis, sed proprietatibus. Optime.» Et Nyssenus (2) ait: «Hypostaseon ratio per eas, quae in unoquoque considerantur, proprietates dispersionem admittit.»

## ARTICULUS II.

## De natura Proprietatum, Originum et Notionum.

## THESIS XV.

Non constituuntur et distinguuntur divinae Personae proprietatibus absolutis, sed relativis tantum.

155. Nota: oppositam doctrinam aliqui AA. erroneam appellant: «Satis est, ait Suarez (3), esse improbabilem et contrariam consensui theologorum.»

(1) Orat. 42, n. 16. (Migne).—(2) Ad Abladium, lib. *Quod non tres dii.*—(3) L. 7, c. 5, n. 5.

1.° Si constituerentur Personae proprietatibus absolutis, in his numerus inveniretur. Atqui hoc falsum est; vide supra (n. 41. prob. 1.°): ergo nequeunt proprietatibus absolutis constitui.

2.° Augustinus (1): «In Deo, ait, non esse nisi substantiam et relationem; et quidquid ad se et non ad aliud dicitur ad essentiam pertinere.» Damascenus (2): «Nos unum agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus Paternitatis, Filiationis et Processionis differentiam intelligentes.» Boetius (3) etiam: «Sola relatio multiplicat Trinitatem.» Illud denique rem confirmat commune effatum ab Eugenio IV confirmatum (4): «Tres Personae sunt unus Deus... omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.» Atqui inter proprietates absolutas non obviat ejusmodi oppositio; ergo solis proprietatibus relativis distinguuntur Personae.

156. 3.° Quod est in Deo et non est relativum, est perfectio simpliciter simplex: ergo proprietates omnes absolutae in Deo sunt essentiales, non personales.

Denique, SS. Litterae divinas Personas non nisi sub nominibus relativis nobis ostendunt. Sed in tanto mysterio nihil, praeter id quod ex fide elucet, debemus affirmare: ergo relativis tantum constituuntur proprietatibus.

157. Objic. Relatio resultat ex subjecto, fundamento et termino. Ergo relatio Paternitatis supponit Patrem constitutum, similiter et relatio Filii, etc. Resp. dist. *ant.* Relatio accidentalis et creata; conc. Relatio subsistens, ut sunt increatae; nego. «Has relationes, ait Suarez (4), non supponere extrema, quae referant, nec distinctionem eorum, ut resultent; sed ipsas esse, quae referuntur secundum rem, ac proinde easdem constituere Personas relatas nostro modo concipiendi, et consequenter etiam illas distinguere. Et ob eandem causam non oportet ut pro termino habeant aliquid absolutum, sed se invicem per se primo respicere possunt.»

#### THESIS XVI.

Proprietates constitutivae Personarum non sunt origines, sed relationes secundum propriam rationem relationis.

158. Nota I.° Idem omnino sunt origo et relatio, verum, quia ratione distinguuntur, dubitatur sub qua ratione, originis vel relationis, concipiatur Personarum constitutio. S. Bonaventura putat originibus constitui: S. Thomas, è contra, relationibus.

(1) L. 5, de Trin. c. 5.—(2) De Fide l. 1, c. 10.—(3) L. 1, de Trinit.—(4) Bulla Cantate Domino, pro Jacobitis.—(5) L. 7, c. 5, n. 12.

159. II.° Relatio est simul cum termino quem respicit; è contra persona producens est prior termino producto: ergo videtur sequi absurdum, nempe quod persona sit etiam prior propria relatione qua constituitur. Ideo in relatione duas distinguit D. Thomas rationes, unam proprietatis, seu constitutivam, et aliam relationis, seu respectivam. In qua distinctione capienda multam laborant et dissentiunt scholae thomisticae AA.

160. III.° Personas per aliquid constitui et distingui duobus modis dici potest; primo, intrinsece et formaliter; secundo extrinsece et dispositive. Sic voces, seu verba, per se intrinsece et formaliter distinguuntur: a prolatione autem diversa loquentis, seu distincta origine, extrinsece et dispositive. De priori formali constitutione est quaestio: nam quoad posteriorem, fatemur personas distingui originibus.

161. Pars I.<sup>a</sup> prob. Generari, spirari, se habent ut via et dispositio ad genitum et spiratum, seu Filium et Spiritum Sanctum; sicut loqui, proferri, est via ad verbum. Atqui personae non sunt aliquid in fieri, in via, et in dispositione, sed aliquid constitutum et in facto esse: ergo non constituuntur per origines. Conf. Id quod supponitur ad personam, nequit esse ejusdem constitutum formale: atqui origo passiva, generari, spirari, supponitur ad esse geniti et spirati; ergo origo non potest esse constitutum.

Quoad origines activas, spirare, generare, in primis: a) patet spirare non constituere Patrem et Filium; nam cum sit proprietas communis utriusque, sequeretur duas illas Personas intrinsece et formaliter non distingui. Unde neque actus spirandi, neque ipsa relatio spirationis potest constituere quod jam supponitur constitutum per distinctas et personales proprietates. b) Generare autem licet a Paternitate non distinguatur, tamen illam significat per modum actualis influxus, seu viae ad genitum: atqui prior est ratione constitutio seu proprietas influentis, quam ipse influxus; et prior est terminus a quo, quam via ad terminum ad quem; ergo generare non constituit Paternitatem juxta conceptum nostrum.

162. Objic. Illud constituit personam, quod est prius in illa: atqui prius est generare, et gigni, quam referri ad genitum, vel generantem; ergo originibus Personae constituuntur.

Resp. dist. *maj.* Quod est prius in illa complete et permanenter; conc. Per modum viae et influxus; nego.

163. Pars II.<sup>a</sup> prob. 1.<sup>a</sup> Cum dicitur *relatio*, proprie et per se significatur propria ratio relationis; sicut cum dicitur Christus *homo*, significatur propria et formalis ratio hominis. Atqui ex doctrina certa Patrum et Theologorum, personae divinae constituuntur relationibus: ergo proprietates constitutivae sunt relationes secundum propriam relationis rationem.

2.º Personae divinae constituuntur per id, quod est proprium et reale in ipsarum constitutivis. Atqui relationes constitutivae Personarum sunt reales, secundum ultimam formalem suam rationem (supra. 45); ergo constituunt Personas secundum propriam actionem relationis.

164. 3.º Arguimus cum D. Eximio (1): id quod Personas constituit non habens (ut supponunt) propriam rationem relationis (*esse ad*), vel est quid absolutum, vel relativum, vel praescindens ab utraque. *Relativum* esse nequit, cum careat formali ratione ejus: si est *absolutum*, transeunt ad Scotum, et deserunt Divum Thomam saepe dicentem, personam esse *ipsam relationem* subsistentem (2): si autem est *praescindens*, ergo est quid fictum mente et abstractum, et carent Personae constitutivo reali; repugnat enim ens reale, quod non sit absolutum, nec relativum.

165. Objic. Persona producens, quoad suam personalem constitutionem, est prior origine et ratione, quam persona ab illa procedens. Atqui relatio nequit esse prior sua mutua correlatione, sed debent esse simul: ergo proprietates constituentes Personas nequeunt esse ipsa formalis ratio relationis.

Resp. 1.º Concedo *maj.* quoad prioritatem originis; et nego *minorem*, vel distingo: relatio subsistens nequit esse origine prior sua mutua correlatione; nego *min.* Relatio accidentalis et affixa: conc. Nam relatio subsistens origine prior, seu producens, non inducit actionem et dependentiam ullam in relationem productam, ita ut debeat inde impediri mutua et simultanea correlatio; non enim est prioritas naturae et multo minus temporis.

Resp. 2.º Nego *majorem*, quoad prioritatem rationis, vel distingo; est prior ratione persona producens, si confuse et negative tantum concipiatur; conc. *maj.* Si proprio et distincto conceptu; nego.

166. Inst. D. Thomas ait (ibid. a. 4): «Proprietas personalis, »ut est relatio, praesupponit actum notionalem. Secundum quod est »constitutiva Personae, praetelligitur relatio actui notionali. Ergo relatio non constituit personam ut est relatio.»

**Nota:** Cajetanus, cum pluribus è schola thomistica, solvit suo modo hanc difficultatem; alii ejusdem scholae cum Ferrariensi jure impugnant solutionem Cajetani, sed non feliciori marte, ut notat Suarez.

Resp. et explico mentem D. Thomae. Proprietas personalis, seu relatio constitutiva, duplici modo concipi potest; vel confuse et praecisive, ad modum creatae relationis; puta, humanae paterni-

(1) L. 7, c. 7, n. 7.—(2) Q. 40, a. 2 et 4.

tatis; vel secundum suum formalem et distinctum conceptum. Si ergo Paternitas primo modo concipiatur, tunc est prior actu notionali, ideoque non constituit Patrem secundum formalem rationem relationis: si autem secundo modo proprietatem concipias, id est, uti se habet, tunc relatio ipsa concipitur formaliter constituens Personam, et simul ipsa correlatio seu Persona opposita.

Unde ad verba D. Thomae: Proprietas personalis *ut relatio* praesupponit actum notionalem, et ut *constitutiva Personae* praetelligitur actui notionali: a parte rei; nego. Secundum confusum et praecisivum nostrum concipiendi modum; conc. Ita acute explicat Suarez, et nulla manet contradictio in illa sancti Doctoris sententia.

### THESIS XVII.

Proprietates in divinis sunt tres, Origines quatuor, Notiones autem quinque.

167. I.º Praenotare oportet, non sumi nunc proprietatem illo sensu logico, pro re, quae semper et ab intrinseco alicui convenit; sed in sensu stricto, quatenus proprium convenit uni tantum, seu opponitur communi. Deinde, agitur de proprietatibus positivis, quatenus, scilicet, personae illis intrinsece constituuntur.

Pars I.ª prob. His ergo positis, patet tres esse Proprietates et non plures: nam Paternitas soli Patri, Filiatio soli Filio, Spiratio passiva soli convenit Spiritui Sancto. Dicitur enim proprietas constitutiva Personae, illa forma, seu quasi forma, qua persona est Persona, seu ipsa personalitas. Licet autem detur quarta relatio realis, ut diximus (1), cum illa sit communis, nec constituat Personam, non est stricto sensu proprietas. Similiter alia praedicata, licet propria sunt singularum Personarum, non tamen sunt praedicata constitutiva: vel quia sunt quid negativum, ut Ingenitum; vel quia significantur ad modum *viae* seu tendentiae, ut *genitus, genitor, spiratus*; debet enim proprietas constitutiva esse quid positivum et ut forma permanens se habere, cum permanentes sint et plenissime ac positive constitutae Personae. Vide Nazianzenum, (Or. 42, habita ad centum quinquaginta episcopos et ad populum; n. 15), praeclare disserentem hac de re.

168. II.ª Pars prob. Pater gignit Filium: ergo in Patre est Origo activa per modum generationis, et in Filio, ut genito, passiva. Item Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum; ergo est spirationis

(1) Supra, n. 53.